30 Ad argumenta I. ſent. contrariæ propoſita n. 8. reſpondetur. Ad primum dic appellari contractum, & reſcindi, quamvis ſit invalidus, quatenus de facto proceſſit, etſi non de jure. Et facit Gloſſ. l. verb. Infirmabitur, ff. de feriis, ibi, Vel dic, infirmabitur, quatenus de facto proceſſit. Ubi ita intelligit textum illum dicentem ſent. nullam infirmari, & ſequuntur ibi Bart. n. 4. in fine, Paulus n. 6. Jaſon. n. 26. Horoſcius n. 4. Vel poteſt ſecundo reſponderi eos contractus non eſſe omninò irritos, ſed ſolo jure poſitivo, & ideò poſſunt dici contractus, & retractari; quatenus validi erant jure naturali; vitium enim nullitatis, quo afficiuntur jure poſitivo, purgatur juramento. Ad ſecundum dic cum Paulo in lectura illius, auth. num. 7. eam non venire ad declarandum, ſed ad augendum, quod diſpoſitum erat in ea l. 1. quæ de validis minorum contractib. firmandis juramento diſponebat; & authentica eam diſpoſitionem auxit ad quoſcumque etiam invalidos. Ad l. Non dubium, adductam in tertio argumento, omiſſis aliis ſolutionibus, quæ non placent, reſpondetur primò cum Doctoribus adductis n. 4. antiquitus non habuiſſe hanc vim juramentum, & ideò illam legem eſſe jam per jus recentius hanc vim tribuens juramento correctam. Vel dic cum Covarr. de pactis 2. p. §. 1. num. 1. in fine, intelligi, quando contractus prohibetur legib. principaliter ob bonum commune; tunc enim eſt contra bonos mores naturales, & ideò juramentum nullam obligationem parit. Vel dic cum eo Cov. ea 2. p. in initio n. 1. in fine, & Suarez tomo 2. de religione tract. de juram. lib. 2. c. 29. num. 20. quando contractus leges reprobatur, eò quòd qualitercumque ſit contra bonos mores naturales, atque ideò ſervari nequit abſque culpa. Quod indicant verba illius l. Non dubium, ſtatim in principio poſita. Ad §. Si paciſcar, adductum in eodem argumento, dic cum Gloſſa ibi verb. De hoc intelligi, quando eſt contrarium juri publico, jam principaliter inducto ob bonum commune, & ſic contra bonos mores naturales. Vel dic quando eſt contrarium juri tamquam ſub culpa prohibenti, & non ſolùm irritanti. Ad ultimum dic eam authent. non eſſe reſtringendam tamquam odioſam, imò tamquam favorabilem debere extendi. Quippe quoties lex aliqua agit de obſervantia juramenti, eſt favorabilis, & extendenda, etſi ſit correctoria. Ut præter omnes Doctores ſtatim referendos docent Bapt. de Sancto Severiano in rep. tit. l. Omnes populi n. 64. ff. de juſt. & jur. Everar. loco à vi, & energia juramenti nu. 84. Avendanno de exequendis mandatis regum 2. p. c. 27. num. 13. Padilla l. Si quis major nu. 4. C. de tranſact. Vincentius Mancinus tractatu de juramento 4. p. effectu 1. qu. 4. num. 28. Sfortias Oddo de reſtitutione in integrum p. 1. quæſt. 26. art. 6. num. 32. Et ideò quamvis loquatur de contractibus minorum, extenditur ad non ſolos contractus oneroſos, ſed etiam ad gratioſos, ut donationes minorum, fidejuſſiones. Gloſſa ibi verbo Contractibus, Bartol. num. 18. & 19. Bald. num. 13. Salicet. num. 12. Paulus in repetitione num. 30. & in lectura num. 7. Albericus n. 11. Jaſon n. 71. Odofredus num. 14. Fulgoſ. n. 13. Humbertus de Bonenco in repetitione n. 6. Corneus in repetitione num. 24. Curt. junior in repetitione num. 44. & 47. Igneus in repetitione num. 62. & 63. Additionator ad Butrig. ibid. Greg. Lopez l. 6. verb. La poſtura, tit. 18. p. 6. Anton. Gomez t. 2. variar. c. 14. n. 18. Gutier. ea auth. num. 118. & 123. Sfortias Oddo proximè allegatus. Extenditur etiam ad quaſi contractus, & diſtractus. Ut docent Gloſſa l. Quid ergo 3. §. 1. verb. liberationem, ff. de contraria tutela, & utili actione, Bart. ead. auth. num. 20. Bald. num. 13. Salicet. num. 15. Jaſon. numer. 73. Corneus in repetit. num. 30. & in lectura num. 6. Curtius junior in repetit. num. 47. Odofredus num. 17. Igneus in repetit. num. 46. Fulgoſ. num. 14. Corſetus tractatu de juramento, privilegio 18. num. 43. Guillelmus Benedictus c. Raynutius, verb. Teſtamentum 3. num. 36. de teſtament. Additionator ad Butrigarium, & Gregorius Lopez proximè citati, Antonius Gomez eodem c. 14. num. 18. Antonius Gabriel in ſuis communibus opinionibus, lib. 2. tit. de minoribus, concluſ. 5. num. 22. & 23. Seraphinus de privilegiis jurament. privilegio 83. num. 33. Peregrinus conſil. 77. num. 1. volum. 1. Ad argumenta ſecundæ ſententiæ propoſita n. 9. conſtat ex dictis n. 11.

SUMMARIUM.

Actus geſtus contra juramentum, an valeat? n. 31.
An jurans poſſit ſibi auferre poteſtatem faciendi validè contra juramentum? n. 32.
An actus geſtus contra juramentum, ſi ſit ſpiritualis, valeat? Refertur duplex ſententia, n. 33. & 34.
Explicatur ſententia Auctoris, n. 35. & 36.
Quid ſi actus ille geſtus contra prius juramentum, ſit jure irritus, & ſolo juramento confirmandus, an confirmetur, & valeat juramentum? Refertur quædam ſententia, n. 37.
Explicatur ſententia Auctoris, n. 38.
Examinatur triplex limitatio, n. 39. 40. & 41.
Poſt num. 41. invenies alia ſummaria.

31 QUæſtio tertia. An juramentum vim habeat confirmandi contractus initos contra prius juramentum non celebrandi illos? Qua in re id præmittendum eſt. Actus geſtus contra prius abſtinendi ab illo juramentum, ſi per ſe ſine juramento erat validus, manet validus non obſtante perjurio; atque adeò juramentum nullam irritandi actus contra geſti vim habeat. Ut ſi quis juret ſe non revocaturum procuratorem, aut teſtamentum, erit utique perjurus revocando; at tenebit revocatio. Conſtat ex capitul. ſicut 22. de ſponſal. ubi deciditur matrimonium initum contra ſponſalia jurata valere. Et ex l. Traditionibus Codice de pactis, & ex l. Quoties Codice de rei vindic. ex quibus conſtat valere venditionem factam alicui cum traditione contra venditionem juratam alteri factam abſque traditione. Et ratio eſt, quia cum juramentum non transferat dominium rei illo promiſſæ, nec reddat inhabilem jurantem ad actum contrarium ex ſe validum gerendum, nullatenus tollit ejus valorem, ſed tantùm efficit, ut contraveniens ſit perjurus. Atque ita docent omnes utriuſque ſententiæ Auctores referendi numero trigeſimoſeptimo, & 38.

32 Imò, nec in jurantis poteſtate ſitum eſt efficere, ut actus ille contra juramentum geſtus non ſit validus; quamtumvis enim jurando velit auferre ſibi poteſtatem efficiendi validè actus contrarii, actus poſtea contra id juramentum geſtus valebit. Quippe coercere voluntatem, ne validè velle poſſit, eſt poteſtatis ſuperioris. Et ita docet Suar. tom. 2. de relig. tract. de juram. lib. 2. c. 19. num. 7. Et dicemus id latiùs explicando tractantes de voto, lib. ſequenti cap. 24. num. 37.

33 Duplex autem potiſſima difficultas eſt. Prior, an in actibus ſpiritualibus valeant geſta contra prius juramentum? Quidam valere negant. Ducuntur autem ex c. Dilecto de præbend. ubi canonici quidam fecere ſtatutum non augendi numeri canonicorum, idque jurarunt, & decidi videtur non valere electionem augendum eum numerum. Nam textus ibi æquiparat electionem contra ſtatutum jurejurando firmatum electioni factæ contra ſtatutum à Pontifice confirmatum cum clauſula irritante; in quo caſu electio eſſet nulla. Ergo & in priori. Quòd ſi dicas eam allegationem eſſe partis litigantis, & non deciſionem Pontificis; obſtabit, quia Pontifex illi præcipuè innitens decidit. Secundò, quia eo ipſo quòd eligunt, fiunt canonici perjuri, & conſequenter infames, ac proinde electio non valebit. Et ideò hanc partem tuentur Innoc. eo cap. Dilecto num. 4. Hoſt. numer. 14. ſuper verb. Non valeat, Imola num. 29. verſic. Sed certum eſt, Antonius c. Cum M. num. 2. de conſtitut. in repetitione, Speculator tit. de legato, §. Nunc tractemus, num. 7. Archid. c. Duobus, ad finem de reſcriptis, in 6. & c. Si à ſede, in fine, de præbendis, eo lib. Oldr. conſ. 127. num. 2. Milis in repertorio, verbo Juram. n. 24. verſic. Juramento de non faciendo, Francus c. 2. in fine, de jurejur. in 6. & c. fin. num. 6. de procurat. eod. lib. Dominic. c. 1. n. 18. de rerum permut. in 6. Decius c. Cum acceſſiſſent, in nova editione num. 34. verſ. Poſtremò in iſto ſecundo caſu de conſtitut. Idem Imola c. Cum contingat num. 84. de jurejur. Alex. conſ. 16. num. 4. lib. 3. Anton. Gabriel relatis Baldo, & Fulgoſio, in ſuis communibus opinionibus, lib. 2. tit. de jurejurand. concl. 1. num. 13. Tuſchus in ſuis practicis concluſionib. tom. 4. verbo Juram. in concl. 512. numer. 6. Quòd ſi opponatur matrimonium eſſe quid ſpirituale, & tamen valere contra priora ſponſalia jurata; ut deciditur c. Sicut de ſponſ. Reſpondent Imola utroque loco, Alexand. Decius, & Tuſchus, intelligi hanc opinionem de actibus merè ſpiritualibus, quorum laici ſunt incapaces, ex quibus non eſt matrimonium. Quippe de illis agit textus d. c. Dilecto.

34 Alii dicunt, ſi per juramentum non ſit ſublata libera efficiendi actus validi poteſtas, prout in dubio eſt præſumendum, valere actum ſpiritualem quemcumque contra prius juramentum; ſecùs ſi inſpectis circumſtantiis, & negotii qualitatibus, nulla penes jurantem poteſtas efficiendi validè contrarium manſerit. Et ita intelligunt textum in d. c. Dilecto, dicentes electionem illam contra priùs juramentum fuiſſe irritam. Quippe ſtatutum illud juramenti vim habuit, ut nulla poteſtas contraveniendi validè ſuperfuerit ſtatuentibus; ſicut eam vim haberet id ſtatutum confirmatum à Pontifice cum clauſula irritante. Atque ideò hanc partem tuentur Alciatus cap. Cum contingat, num. 269. de jurejurand. Covarr. de pactis 2. p. §. 2. num. 5. verſic. Ego verò.

35 At dicendum eſt, nullam eſſe differentiam inter actum ſpiritualem, & temporalem, ſed utrumque eſſe validum, etſi contra juramentum fiat, niſi aliunde ſit irritus. Quia cap. Dilecto de præbend. cui contrarii innituntur, non probat electionem illam fuiſſe irritam. Reſpondent enim omnes Auctores hujus ſententiæ æquiparationem illam non eſſe in omnibus, ſed quo ad hoc tantùm, ut in utroque caſu electio ſit illicita. Inſuper dicunt id fuiſſe allegatum à parte, nec illi allegationi inniti deciſionem Pontificiam. Nec obſtat infamia eligentium ratione perjurii contracta. Quia eſto eam incurri demus, electio præcedit perjurium, & ſic infamiam. Tandem, quia nullatenus probatur eo ſtatuto jurato ablatam eſſe poteſtatem faciendi validè contrarium. Cum juramentum eam vim non habeat. Ut diximus numero 31. & 32. Nec ſtatutum etiam confirmatum à Pontifice, niſi addatur clauſula irritans. Ut deciditur eo cap. Dilecto. Nec ſtatutum, & juramentum ſimul, cum nullo jure probetur ea utriuſque vis. Et ideò hanc ſententiam tuentur Joann. Andr. addit. ad Speculatorem tit. de legato, §. Nunc tractemus, num. 7. verbo Electio, & d. cap. Dilecto num. 7. verſ. Juram. & ibi Anton. num. 11. Abb. num. 17. Card. num. 8. oppoſitione 5. Anch. num. ultimo, Henr. num. 10. Ananias num. 12. in fine, Idem Card. Clem. 1. in principio num. 11. poſt quæſt. 3. in 1. oppoſitione de regul. Selva de beneficiis, in 3. p. qu. 27. Loazes in allegatione pro Marchione de Velez circa oppidum de Mula in reſponſione ad 5. & 6. fundamentum contrariorum numero 157. Leonard. lib. 2. de juſt. cap. 17. dub. 7. num. 57. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 11. capitulo 6. quæſt. 2. Suarez tom. 2. de religione, tractatu de juramento, l. 2. c. c. 19. nu. 6. quamvis enim hoc non exprimat, ait duas opiniones relatas ab Azor. ea qu. 3. carere probabilitate: altera autem illarum eſt, ut actus ſpiritualis contra prius juramentum non valeat.

36 Quidam temperant hanc ſententiam, ut intelligatur, niſi electus ille conſcius prioris juramenti procuraſſet eligi contra illud. Quia cum ſit tunc perjurus, repellitur ratione perjurii. Sic Joann. And. utroque loco, Abbas numer. 18. Card. eo cap. Dilecto, numero 8. oppoſitione Anton. Anchar. Ananias, Henricus num. præcedenti allegati. Sed hoc non eſt intelligendum, quaſi tunc electio ſit ipſo jure irrita, ſed ratione delicti eſt irritandam. Juxta c. Inter dilectos, de exceſſibus prælat. Et ita Abbas dixit eſſe irritam, vel ſaltem irritandam. Quia nec ille ante electionem eſt perjurus, nec propriè eſt poſtea talis, ſed reus perjurii tamquam cauſa illius. Nec electio cujuſcumque perjuri eſt ipſo jure irrita. Ut dicemus c. ult. hujus libri.

37 Poſterior difficultas eſt. An quando actus jurejurando munitus eſt ſecluſo juramento irritus jure, & à ſolo juramento eſt robur, & vires accepturus, ab illoque confirmandus, valeat geſtus contra prius juramentum, atque hoc poſteriori juramento confirmetur; v. g. alienatio fundi dotalis, donatio inter conjuges, contractus minorum habentium curatorem geſti abſque illius auctoritate, aut circa res immobiles abſque judicis decreto ſunt ipſo jure irrita & ſolo jurejurando confirmantur, juxta dicta nu. 11. 13. & 13. Si ergo mulier juravit ſe non alienaturam, aut minores ſe non contracturos, & poſtea illa alienet, vel hi contrahant, juramento adjecto non contraveniendi, aut conjux jurat ſe non donaturum conjugi, & poſtea donet jurans ſe non contraventurum, dubitatur, an omnes hi contractus ipſo jure invalidi, qui aliàs ex juramento valorem accepturi erant, & ab illo confirmandi, accipiant id robur, ac confirmentur, quamvis contra prius non contrahendi juramentum ſint initi? Quidam affirmant. Sic Antonius Gomez, l. 52. Tauri nu. 58. & Jaſon ait, §. Si quis poſtulante, nu. 11. inſtitut. de actionibus, contrarium communiter reprobari. Et hanc partem latè probat Suarez tomo 2. de religione, tractatu de juramento, l. 2. c. 30. à nu. 4. & concludit nu. 16. hanc ſententiam videri probabiliorem. Et pro hac poteſt allegari Molina tomo 2. de juſtitia, diſput. 540. columm. 11. ubi ait fidejuſſionem mulieris firmari juramento, etſi non renuntiet Vellejano, quamvis priùs jurarit ſe non fidejuſſuram. At in hoc non eſt hujus ſententiæ. Nam fidejuſſio mulieris abſque juramento valet mero jure, etſi ipſa poſſit eam elidere utens beneficio Vellejani. Ut probant Gutierez de juramento 1. p. 20. n. 1. & Molina eadem diſput. 540. ſtatim in principio; & ſic loquitur Molina in caſu præſentis difficultatis, qui eſt, quando contractus ſecluſo juramento eſt irritus. Rationes autem omnes, quas adducit Suarez, in hoc ſolo conſiſtunt, quòd cum prius juramentum fuerit tantùm non alienandi, non contrahendi, minimè adverſatur illi poſterius non revocandi juramentum, ſunt enim diverſa, non alienare, non donare, non contrahere, & hæc ſemel facta non revocare. Cum ergo poſterius non revocandi juramentum non contineat perjurium, ac proinde poſſit abſque peccato ſervari, non eſt cur non valeat, & cur contractum non confirmet.

38 Quamvis autem hoc ſit ſatis probabile, credo probabilius eſſe tunc non confirmari hos contractus eo juramento, nec id obligare. Cujus ſententiæ eam ſecutus retuli multos Auctores cum Gloſſa c. 2. in fine, de jurejurand. in 6. lib. 6. de matrim. diſputat. 13. numer. 2. & ultra ibi citatos eam tenent Calderinus conſilio 9. ad finem, de jurejur. Angelus inſtituta, Quibus alienare licet, in principio num. 6. Innoc. c. Dilecto num. 4. de præbendis, & ibi Imola num. 29. verſic. Sed certum eſt, & ibi Ananias num. 15. in fine, Idem Imola cap. Cum contingat num. 84. in fine de jurejurand. Felinus c. Si diligenti, num. 33. verſ. Non inferas, de foro compet. Crottus repetitione l. Filius familias, §. Divi, el 2. num. 49. in fine, ff. de legat. 1. Rubeus conſ. 117. num. 9. Hippolyt. de Marſiliis rub. ff. de fidejuſſ. num. 294. Guillelmus Benedict. cap. Raynutius, verbo Teſtamentum 3. numero 30. & verb. Et uxorem nomine Adelaſiam, deciſione 2. numer. 79. & 180. & 181. de teſtament. Tabiena in ſumma, verbo Jurare, quæſtione 17. numero 28. Padilla l. Finali numero 12. Codice de juris, & facti ignor. Lara l. Si quis à liberis, §. Parens, numero 103. ff. de liberis agnoſcendis, Minchaca de ſucceſſionum creatione, lib. 2. §. 18. numero 158. Antonius Gabriel in ſuis communibus opinionibus ubi multos alios refert lib. 2. titul. de jurejur. concl. 1. numero 3. & 4. Azor. tom. 1. inſtitut. moral. lib. 11. capit. 6. quæſt. 3. in fine, Rebellus de juſtit. part. 2. lib. 1. quæſt. 9. num. 13. Leonard. lib. 2. de juſt. cap. 17. dub. 7. numero 58. & 59. Meres de majoratu, in 1. editione 4. part. q. 15. n. 11. Gratian. alios referens tota regula 276. Tuſchus in ſuis concluſionibus practicis t. 4. verbo Juramentum, concluſione 514. n. 6. & 7. Vincentius Mancinus tractatu de juramento 4. effectu 1. q. 5. n. 2. Atque Suarez relatus n. præced. judicat hanc ſententiam ſatis probabilem, cum tamen dicat oppoſitam videri probabiliorem. Et varias rationes hujus ſententiæ retuli eadem diſput. 13. n. 3. & 4. eaſque reprobavi, concludens rationem hujus legitimam eſſe, quam modò ampliùs explicabo. Quia cum juramentum nequeat eſſe vinculum iniquitatis, non poteſt contractus jure invalidus effici validus, ac confirmari perjurio commiſſo per juramentum poſterius. Quamvis enim videatur non continere perjurium, nec eſſe contrarium priori juramento; at re vera illud continet eſtque priori contrarium. Quia licèt ille non jurarit expreſsè in priori juramento, ſe non contraventurum; at tacitè id juravit: ſuppoſita enim illius actus nullitate, juramentum illius non celebrandi æquivalet juramento illius nullatenus habendi rati. At juramentum non revocandi eſt juramentum illius habendi rati, ac proinde eſt perjurium contra prius juramentum nec poteſt abſque peccato obſervari, & ideò non obligat.

39 Sed hæc ſententia limitatur ab aliquibus tripliciter. Primò, ut intelligatur, quando juramentum prius præſtitum eſt alicui, cujus intererat ab eo contractu abſtineri. Doctores hujus limitationis retuli l. 6. de matrimon. diſput. 13. num. 6. & ultra illos tenent Guillelm. Benedict. c. Raynutius, verb. Duas habens filias, num. 219. de teſtam. Suarez eodem c. 30. n. 10. Et ratio eſt, quia tunc poſterius juramentum eſt in præjudicium tertii, cui erat acquiſitum jus per prius, & ita nequit per poſterius illi juri præjudicari. Quæ ratio idem probat, ut benè advertit Suarez ibi cum Covarr. de pactis 2. p. §. 2. num. 4. quamvis prior promiſſio non ſit juramento firmata, ſed ſit ſimplex acceptata à parte. Quia eſt ſimiliter acquiſitum jus tertio. At quamvis hoc ſit in ſe verum, ſententia tamen numero præcedenti relata procedit etiam, quamvis prius juramentum ſit ſoli Deo emiſſum intuitu pietatis. Quia tunc habet rationem voti, ut ſi mulier juraret Deo ſe alienaturam fundum dotalem, ut ex eo eleemoſynas faceret; ac proinde poſterius juramentum eſſet contra id votum, ac ſubinde non obligaret, etſi poſtea alienet, cum juramento non revocandi. Et ideò talis contractus non firmabitur juramento, nec efficietur validus; ſed tenebitur revocare, ut ſervet prius votum. Hujus ſententiæ retuli Auctores eadem diſputat. 13. num. 6. etſi non ita clarè hoc exponant. Id autem clarè dixit Suarez eodem c. 30. n. 11. Quòd ſi id juramentum prius non eſſet factum alicui, cujus intererat, nec intuitu pietatis Deo, ſed in favorem abſentis, & nondum eſſet ab eo acceptatum, tunc exiſtimo limitationem prædictam eſſe veram, & poſſe abſque perjurio contractum iniri, atque eum conſequenter firmari juramento. Quia, ut probavimus c. 9. num. 10. juramentum factum homini abſenti poteſt ante ejus acceptionem revocari. Quamvis Suarez eo n. 11. cenſeat in hoc caſu eſſe perjurum ineuntem poſtea contractum contra prius juramentum. Quia, ut retuli eo c. 9. n. 10. cenſet juramentum factum in abſentia obligare; at fatetur tunc firmari contractum poſtea factum. Similiter ait Suarez ibi non poſſe abſque perjurio iniri poſteriorem contractum, etſi juramento firmetur, quando in poſteriori juramento nulla pietatis, nec utilitatis tertii ratio eſt habita, ſed ſolius propriæ commoditatis. Sed meliùs alii, quos tacito nomine ibi refert, dicunt prius juramentum tunc non ita obligare, quin poſſit jurans cedere juri ſuo, & quaſi illud ſibi relaxare. Quia cum nulla habita ſit ratio honoris Dei, ſed propriæ commoditatis, non video cur non poſſit ille ſuo juri cedere; & ita non ſolùm contractus firmabitur juramento, quod etiam fatetur Suarez ibi, ſed nec illum iniens erit perjurus. Quod ipſe contra alios ibi negat.

40 Secundò limitatur ab aliis, ut habeat verum, quando contrahens cum illo jurante fuit conſcius prioris juramenti, tunc enim contractus hic contra prius juramentum non confirmabitur juramento; ſecùs quando ignoravit prius juramentum. Hujus limitationis Auctores retuli lib. de matr. diſp. 13. n. 7. & ultra ibi citatos tenent Baldus l. Si prædium, in fine in 2. lectura, C. de jure dotium, Faber inſtit. Quibus alienare licet, in princ. n. 6. Guillelm. Bened. relatus n. præced. Ruinus conſ. 66. num. 14. vol. 2. Sylva nuptialis §. Diviti non eſt nubendum n. 81. verſ. Nam dato, quòd poſtea, Anton. Gabriel in communibus opinionibus, l. 2. tit. de jurejur. concl. 1. n. 6. Atque Suarez eod. c. 30. nu. 13. defendit hanc limitationem à repugnantia, quam involvere videtur, intelligendo illam, ut etiam data hac ſcientia juramentum obliget, non tamen confirmet contractum ratione turpitudinis, quæ reperitur in contrahente, eò quòd cooperatus ſit perjurio alterius. At retenta noſtra ſententia dicente eſſe perjurium, in poſteriori juramento, & ideò hoc juramentum nec obligare, nec illo confirmari contractum, rejicienda eſt hæc limitatio. Atque eam improbant Doctores, quos ea diſput. 13. num. 7. retuli, & ultra illos Vincentius Mancinus tractatu de juramento 4. parte effectu 1. quæſt. 5. à num. 4. uſque ad 10. Quia in neutro caſu tollitur perjurium jurantis, licèt ratione ignorantiæ non ſit particeps illius delicti alter contrahens, & in utroque caſu contractus eſt invalidus, & ſolo illo perjurio confirmandus.

41 Ultimò limitatur, ut iuramento hoc poſteriori, non firmetur contractus, ut procedat, quando altero ignorante prius iuramentum, iurans ex ſimplicitate, ſeu ex oblivione tacuit prius iuramentum; quod in dubio eſt præſumendum; ſecùs autem, quando doloſè ſe priori iuramento adſtrinxit, ſeu illud occultavit. Quòd iura non decipientibus, ſed deceptis ſubveniant. Hujus limita-

mitationes Auctores retuli *ea diſputat. 13. in fine*. Sed benè *Suarez eodem c. 30. in fine* advertit hanc limitatione non procedere poſſe attenta noſtra ſententia. Quia ſi poſterius juramentum adverſetur priori, & ideò contineat perjurium, nec poſſit abſque peccato ſervari, doloſa jurantis taciturnitas nil proderit ad contractum confirmandum, utpote quæ non aufert perjurium in poſteriori juramento commiſſum. Et ideò credo eos Doctores intelligere firmari contractum ad hunc ſenſum, ut decipiens obligetur ratione doli, perinde ac ſi firmaretur contractus.

SUMMARIUM.

Traditur regula ad dignoſcendum, quando juramento confirmetur contractus, n. 42.
An firmetur, quando contractus interdicitur principaliter ob publicam utilitatem? n. 43.
Quid, quando principaliter ob privatam? n. 44.
Expenditur triplex hujus limitatio, n. 45. 46. & 47.
Improbantur dicentes non firmari, quando ſecundario interdicitur ob publicam, n. 48.
An firmetur juramento, quando eſt in præjudicium tertii? numero 40.
An firmetur, quando jure redditur irritum juramentum? numero 50.
An firmetur exiſtente turpitudine in eo, in cujus favorem juratur? n. 51.
Qualis debeat eſſe hæc turpitudo? Explicatur, numero 52. 53. & 54.
An neceſſariò debeat eſſe contraria juri naturali, aut canonico? Refertur quædam ſententia, n. 55.
Explicatur ſententia Auctoris, n. 56.
An ſufficiant metus levis, & dolus non dans cauſam contractui, & qualis læſio, ne confirmetur contractus juramento, ſed illud poſſit relaxari? Remiſſivè, n. 57.
Poſt n. 57. invenies omnia ſummaria, quæ deſiderantur.

42 QUæſtio quarta. Quibus regulis dignoſcatur, quando juramentum vim confirmandi contractus ſortiatur? Qua in re, etſi variæ regulæ tradantur à Doctoribus, unica tamen eas omnes complectar, ex qua, & ex corollariis inde inductis hæc res manifeſta fiet. Regula hæc eſt. Quoties juramentum abſque peccato ſervari poteſt, nec turpitudo invenitur in creditore, in cujus favorem præſtatur, & non ſolam faciendi promiſſionem continet, ſed eam, quæ formaliter, aut æquipollenter eſt non revocandi contractus, firmat contractum, cui adjicitur. Atque ita triplex conditio debet reperiri in juramento, ut hac contractus firmandi virtute gaudeat. Prima eſt, ut poſſit abſque peccato ſervari. Secunda, ut non reperiatur turpitudo in recipiente. Tertia, ut formaliter, aut æquipollenter contineat promiſſionem non revocandi contractus. Hæc regula generalis apertè colligitur ex *c. Cum contingat, de jurejurand. & c. 2. eodem tit. in 6. & c. Quamvis pactum, de pactis, eodem lib.* quia dum ii textus decidunt, quando juramento firmentur contractus alioquin infirmi, ita ut ſint omninò ſervandi, reddunt hujus confirmationis rationem, quòd id juramentum poſſit abſque peccato ſervari, nec ex parte recipientis metus aut dolus in extorquenda promiſſione interceſſerint. Quam etiam poſteriorem conditionem ponderavit textus in *auth. Sacramenta puberum Codice ſi adversùs vendit.* & licèt prioris non meminerit; ea tamen ex aliis textibus eſt ſupplenda. Cum omnia jura, & etiam naturale jus clament juramentum, quod abſque peccato ſervari nequit, nullas obligandi vires ſortiri. In quibus verbis explicantur duæ priores conditiones. Tertia conditio explicatur in eiſdem textibus. Ut conſtat ex dictis *numero 19. & triplici ſequenti*. Et quamvis iidem textus petant etiam juramentum non redundare in tertii præjudicium; non eſt nova aliqua conditio, ſed includitur in prima, eò quòd tunc nequit juramentum abſque peccato ſervari. Ut oſtendemus *nu.* 49. Atque hæc regula conſtabit magis ex corollariis ex ea deducendis, ubi & Doctores afferemus. Et hæc regula, quo ad duas priores conditiones expreſsè traditur *à Paulo l. Si quis pro eo, in principio numero 4. ff. de fidejuſſor. & d. auth. Sacramenta puberum, in lectura numero octavo & nono. Everardo in ſuis topicis, loco à vi, & energia juramenti, num. decimoſexto. Antonio Gomez, tomo ſecundo variarum capit. 14. numero 24. verſic. Item infertur, quòd donatio*, ubi hanc regulam tradunt generalem. Tunc juramento firmatur contractus, quando in ejus obſervantia non peccatur, nec eſt contra publicam utilitatem, nec in præjudicium tertii, nec eſt turpitudo in recipiente. Nec opus fuit explicare, ut non ſit contra publicam utilitatem, nec in tertii præjudicium, quòd tunc peccetur in juramenti obſervantia, & ideò in prima conditione clauditur. Eamdem regulam explicatis eiſdem duabus conditionibus tradit *Gutierez de juramento 1. parte capit. 40. numero 3. verſic. Tertia opinio*.

43 Ex hac regula deducitur primò, quando contractus prohibentur primariò ob publicam utilitatem, non firmari juramento. Quia nec tunc id juramentum obligat, eò quòd abſque peccato ſervari nequeat. Ut probavi *capit. 9. numero* 34. Et ita tradunt *Bartol. l. ſi quis pro eo 57. in principio numero 8. ff. de fidejuſſor. & ibi Paulus numero 4. & 5. idem Bartol. l. Sejus & Augerius 27. numero 4. ff. ad l. Falcidiam, Abbas c. Cum contingat, numero 5. de jurejur. & ibi Alexand. de Nevo numero 28. Bellamera numero 21. Alciatus l. Pacta quæ contra, numero 17. C. de pactis, Corneus repetitione d. auth. Sacramenta puberum numero 48. & ibi in repetitione, Humbertus de Bonenco numero 115. Everardus in ſuis topicis, loco à vi, & energia juramenti, num. 17. Covarr. de pactis 2. par. §. 1. num. 1. & §. 2. num. 6. verſic. Prima igitur*, ubi benè addit hoc habere verum, ſive verba legis prohibentis ob bonum commune, dirigantur in perſonam, ſive in rem, *Antonius Gomez l. 59. Tauri numero 4. & tomo 2. variar. capit. 14. numero 24. verſic. Item infertur, quòd donatio, Villalobos in ſuis communibus opinionibus, litera I. numero 130. Minchaca de ſucceſſionum creatione, lib. 3. §. 26. num. 43. & §. 28. numero 21. verſic. Denique quòd actus, Gutierez de jurament. 1. p. cap. 58. numero 15. Riminaldus inſtitut. Quibus alienare licet, in principio numero 217. Matienzo lib. recopil. regia titul. 2. l. 2. gloſſa 3. numero 17. Seraphinus de privilegiis juramenti, privilegio 61. num. 13. Cardinalis Tuſchus in ſuis practicis, verbo Juramentum, concluſione 528. numero 56. in tomo 4. Suarez tomo 2. de religione tractatu de juramento, lib. 2. cap. 26. numero 11. Rebellus de juſtitia p. 2. lib. 1. quæſt. 9. numero 8.* Et quamvis aliqui cenſeant firmari contractum, quando ſolum jus civile interdicit eum contractum ob publicam utilitatem, petantque, ut non confirmetur, interdici etiam jure canonico ob eamdem. Hi ſunt *Imola dict. cap. Cum contingat, numero 36. Azor. tomo 1. inſtitutionum moralium, lib. 11. cap. 7. quæſt. 2. reg. 2. in fine, junctis verſic. Sed conceſſis, & ſequenti, Leonardus lib. 2. de juſtitia capitul. 17. dub. 7. numero 55.* id utique ſentiunt conſequenter ad ſuam ſententiam relatam *c. 9. nu. 33.* nempe, ut quando ſola lex civilis interdicit actum ob publicam utilitatem, poſſit juramentum abſque culpa ſervari. Cujus contrarium probavi *eo c. 9. n. 34.*

44 Secundo deducitur, confirmari juramento contractum lege prohibitum primariò ob privatam contrahentis utilitatem, etſi ſecundariò ob bonum commune, dummodò non ſit turpitudo in recipiente. Quia tunc ea lex non obligat ad culpam, & ideò poteſt juramentum abſque culpa aliqua ſervari. Ut probavi *c. 9. n. 25. & 36.* Atque ita docent *Bart. l. Sejus, & Augerius 27. nu. 4. ff. ad l. Falcidiam, Joannes Andr. cap. Quamvis pactum, numer. 3. de pactis, in 6. & ibi Archid. num. 3. & ibi Dominicus num. 3. Idem Joannes Andr. capitul. 2. numero unico, de jurejurando, in 6. & ibi Dominicus, num. 6. Abbas cap. Cum contingat, num. 8. de jurejur. & ibi Alexand. de Nevo num. 35. Bellamera num. 22. & duplici ſequenti, Idem Alexand. de Nevo cap. Debitores num. 12. eodem titulo Paulus d. l. Si quis pro eo, in principio, num. 4. juncto num. 7. & in repetitione d. auth. Sacramenta puberum, nm. 22. & 23. Jaſon ibi num. 51. & 52. Curtius junior in repetitione num. 38. & 39. Corneus in repetitione num. 38. duplici ſeq. & in lectura num. 6. Alexander conſil. 27. à num. 5. uſque in finem, volum. 1. Aretinus l. Is cui bonis, num. 7. ff. de verb. obligat. Everardus loco à vi, & energia juramenti n. 6. & 7. & 17. Angelus verbo Juramentum 5. num. 24. Sylveſt. verbo Juramentum 4. qu. 16. Covarr. de pactis 2. p. §. 2. num. 6. verſic. Prima igitur, & num. 7. verſ. Primùm falſam eſſe, Gutier. d. auth. Sacramenta puberum, nu. 38. & 39. Antonius Gomez l. 59. Tauri num. 4. verſic. Sed his non obſtantibus, & tomo 2. variarum c. 14. num. 24. verſic. Item infertur, quòd donatio, Riminaldus inſtituta, quibus alienare licet, in principio numero 218. Minchaca de ſucceſſionum creatione, l. 3. §. 26. numero 43. & §. 28. num. 28. Villalobos in ſuis communibus opinionibus, litera I. num. 131. Matienzo lib. 5. recopil. titul. 2. l. 2. gloſſa 3. num. 15. Barboſa l. Alia, §. Eleganter, num. 32. ff. ſolut. matr. Surdus conſil. 54. numer. 18. volum. 1. Azor. tomo 1. inſtit. moralium, lib. 11. c. 7. qu. 1. regula 4. Rebellus de juſtitia p. 2. lib. 1. quæſt. 9. num. 3. & lib. 5. qu. 7. ſectione 3. num. 16.*

45 Tripliciter ſolet limitari hoc. Primò, ut intelligatur, quando verba prohibitiva legis diriguntur in rem, ut interdicendo aliquid alienari; ſecùs quando diriguntur in perſonam, ut interdicendo illi alienationem. Ducuntur, quòd in hoc poſteriori caſu lex obliget ad culpam, & ita juramentum ſervari nequeat abſque culpa; ſecùs in priori caſu. Sic *Bart. l. ſi quis pro eo, in principio numero 9. & 11. ff. de fidejuſſ. & authen. Sacramenta puberum, n. 15. C. ſi adverſus venditionem, Humbertus de Bonenco in repetitione ejus authenticæ num. 24. & num. 124. Alciatus c. Cum contingat, à num. 97. uſque ad 167. de jurejur. Angelus d. l. Si quis pro eo, in principio n. 2. & conſil. 160. domina Catherina n. 3. Tuſchus in ſuis practicis 4. tom. verbo Juramentum, concluſion. 528. nu. 56.* & dicit eſſe probabile *Alciatus l. Pacta, quæ contra, num. 26. C. de pactis*. Pro hac etiam ſententia ſunt Doctores, quos retuli *cap. 9. numer. 36*; dicentes juramentum non obligare, quoties prohibitio legis dirigitur in perſonam. Sed *ibi* eam diſtinctionem reprobavi, & ideo dicendum eſt in utroque caſu contractum firmari juramento. Et ita docent *Abbas, Bellamera, Paulus, Jaſon, Curtius junior, Aretinus, Alexander, Covarr., Antonius Gomez, Minchaca, Gutierez, Azor,* relati *nu. præced.*

46 Secundò limitatur, niſi lex prohibens aliquid principaliter ob utilitatem privatam, exprimat ſe id facere ob publicam utilitatem. Ita *Bart. lib. Jus publicum 39. num. penultimo, & ultimo, ff. de pactis*. Sed jure optimo hanc limitationem impugnat *Aretinus libro Is cui bonis, numero 7. ff. de verbor. obligat.* Quia re vera non eſt prohibitio, niſi ob bonum privatum; & rei veritas eſt potiùs attendenda.

47 Ultimò limitatur, niſi contractus interdicatur favore debitoris, concepta tamen prohibitione in creditoris perſona. Ut ſi lex ita prohibeat, *nemo cum minore contrahat*; tunc enim etſi minor juret, non firmabitur contractus juramento. Nam tunc minori non interdicitur contrahere, ſed ipſi creditori, etiamſi minor velit. Ita *Bartol. l. Si quis pro eo, in principio, numero 11. ff. de fidejuſſ.* Sed jure optimo *Covarr. de pactis 2. part. §. 3. numer. 7. ad finem*, hoc impugnat dicens eum contractum firmari juramento. Quia eo præſtito debitor potuit, & viſus eſt renuntiare prohibitioni in ejus favorem inductæ; quæ renuntiatio propter vim juramenti confirmat contractum. Nec favet *Bartolo* doctrina *Gloſſa l. Invitus, §. ultimo, ff. de regulis juris*, quam pro ſua ſententia ipſe allegat, quæ ait eum, cui acceptio interdicta eſt, non poſſe etiam à ſponte dante recipere. Quippe loquitur, quando favore boni publici eſt prohibitio; ut contingit in judicibus.

48 Quare minùs verum eſt, quod tradunt *Alciatus l. Pacta quæ contra, à n. 20. uſque ad 25. C. de pactis, & Horoſcius l. Juris gentium §. Juri communi, nu. 5. ff. de pactis*, ubi dicunt non firmari contractum juramento, quod etſi prohibitio legis ſit principaliter ob bonum privatum; at ſecundario eſt ob bonum publicum; ut contingit in alienatione fundi dotalis; ſed tantùm, quando nec in conſequentiam ſpectatur bonum publicum. Quæ limitatio eſt contra omnes Doctores relatos *n. 44.* Atque *n. 5. & n. 12.* probavi eam alienationem fundi dotalis, de qua eſt ſermo *cap. Cum contingat, de jurejurand.* confirmari juramento. Et tenet *ibi Alciatus, nu.* 96. ſibi contrarius.

49 Tertiò deducitur, non firmari contractum juramento, quando eſt in præjudicium tertii conſtat ex *c. Cum contingat, de jurejurand. & c. Quamvis pactum, de pactis, in 6.* Præterea, quia hoc juramentum, utpote rei iniquæ non obligat. Ut probavi *c. 9. n. 38.* ubi *n. 39.* explicui, quale ſit hoc præjudicium. Et in hoc omnes Doctores conveniunt, & *eo n. 38.* retuli multos.

50 Quartò deducitur, contractum non firmari juramento quando illud eſt irritum redditum jure aliquo humano. Quia tunc perinde eſt, ac ſi juramentum non eſſet, cum tamquam irritum nullas obligandi vires habeat. Ut latiùs dicemus *c. 22.* ubi tractabimus, an id poſſint non ſola lex canonica, ſed etiam civilis. Et ita docent *Molina to. 2. de juſtitia, diſp. 271. columη. 5. verſic. Hoc tamen loco*.

51 Ultimò deducitur, quando turpitudo reperitur in creditore, in cujus favorem juratur, etſi juramentum obliget, eo tamen non firmari contractum. Ut quando eſt juramentum ſolvendi uſuras, aut quando promiſſio eſt metu, aut dolo extorta. Conſtat ex *c. Cum contingat, de jurejurand. & c. Licet mulieres, eodem tit. in 6. & c. Quamvis pactum, de pactis, in 6.* ubi dum deciditur contractum firmari juramento, excipitur niſi metus, aut dolus interſit; quæ exceptio apponitur ratione turpitudinis inventæ tunc in recipiente. Conſtat etiam ex *c. Debitores de jurejurand.* ubi deciditur ſoli Deo acquiri jus ex juramento ſolvendi uſuras, & eis ſolutis concedi repetitionem. Neutrum autem contingit, dum contractus firmatur juramento. Præterea, quia juramentum tantùm obligat in his caſibus, ob reverentiam nominis divini adducti in teſtem ad faciendum verum, quòd juratur; nullaque actio acquiritur parti. Ut probavi *c. præcedenti n. 8.* Ergo tantùm obligat ad requiſita veritati juramenti, & ut illud impleatur; ad quod neutiquam eſt neceſſarium eo contractum confirmari. Item, quia cum vis hæc contractus inſit juramento ex jure humano, ut *numero* 3. diximus, non eſt credendum velle jus favere turpitudini creditoris, in cujus favorem confirmatio hæc cederet. Ita docent *Bart. l. Si quis pro eo, in principio numero 10. ff. de fidejuſſor. & ibi Paulus numero quinto Angelus numero 7. Antonius cap. Cum contingat, numero 14. de jurejurand. & ibi Abbas numero 5. Baldus numero 7. verſic. Sed numquid mortua, Imola numero 66. Alexand. de Nevo numero 33. Bellamera numero 26. Alciatus numero 133. & 134. & l. Pacta quæ contra, numero 37. C. de pactis, Cumanus ea l. Si quis pro eo, in principio numero 16. Idem Paulus in lectura d. Authent. Sacramenta puberum, numero 3. & 9. & ibi Corneus in repetitione numero 55. in fine, Humbertus de Bonenco in ejuſdem repetitione, numero 135. Everardus loco à vi, & energia juramenti numero 17. Alexand. conſ. 129. numer. 19. volum. 6. Covarr. de pactis 2. par. 2. §. 3. num. 1. Antonius Gomez tomo 2. variarum c. 14. n. 24. verſic. Item infertur, quando donatio, Seraphinus de privilegiis juramenti privilegio 61. num. 14. Riminald. inſtitut. quibus alienare licet, in principio num. 227. Minchaca de ſucceſſionum creatione, lib. 3. §. 28. num. 35. verſic. Quartus caſus, Vincentius Mancinus de juramento part. 4. effectu 1. quæſt. 3. num. 12. Tuſchus in ſuis practicis, tomo 4. verbo Juramentum, concluſione 528. nu. 41. Surdus conſil. 165. num. 10. volum. 2. & conſilio 194. à numer. 22. volum. 2. Barboſa l. Alia 15. §. Eleganter num. 32. ff. ſolut. matrim. Molina tomo 1. de juſtitia diſput. 150. colum. 2. & tomo 2. diſputat. 515. columna 4. verſic. Utrum autem, Suarez tom. 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 2. cap. 27. n. 2. Leonard. lib. 2. de juſtit. cap. 17. dubio 7. num. 36. Rebellus de juſtitia p. 2. lib. 1. q. 9. n. 11. Azor. t. 1. inſt. moral. l. 11. c. 7. q. 1. regula 3.* Quare jure optimo *Cov. de pactis 2. p. §. 3. nu. 3. verſiculo, Secundò infertur*, reprehendit *Bartolum* ſibimet contrarium, qui in *l. Sejus, & Augorius n. 4. ff. ad l. Falcidiam* dicit hujuſmodi contractum firmari juramento, & facta ſolutio concedi repetitionem. Quia nec eum contractum firmari juramento, eſt veriſſimum, ut ex *eodem Bartolo*, & aliis diximus; & ſi firmaretur juramento, repugnat dari repetitionem.

52 Sed dubitatur, qualis debeat eſſe hæc turpitudo? *Molina t. 1. de juſtitia, diſput. 149. columna 2. verſic. Quatuor juribus, & diſp. 150. columη. 2. & t. 2. diſp. 515. col. 4. verſic. Utrum autem*, ait hanc turpitudinem contingere, quoties is, in cujus favorem juratur. accipit iniquè, & tenetur reſtituere Ut contingit in accipiente uſuras, aut metu, aut dolo. Et *Angelus l. Si quis pro eo, in principio, n. 7. & 9. ff. de fidejuſſ.* dicit eam tantùm contingere, quando recipiens peccat retinendo.

53 At quamvis id veriſſimum ſit, exiſtimo non tantùm in eo caſu hanc turpitudinem contingere, ſed quoties etiam is, in cujus favorem juratur, peccat in acceptione rei juramento ſibi promiſſæ, quamvis minimè teneatur illam ſibi traditam reſtituere, nec retinendo peccet. Quia cum tunc peccet creditor in actu, quo implendum eſt juramentum, non intendit jus dare vires juramento ad confirmandum eum actum turpem, ne illi turpitudini favere videatur. Huic ſententiæ favet *Alciatus c. Cum contingat n. 134. de jurejurand.* ubi ait non eſſe opus, ut is contractus ſit nullus, ſed ſatis eſſe, ut lex contrahentem odio proſequatur. Et clariùs *Everardus loco à vi, & energia juramenti n. 17. & Fachineus in ſuis controverſiis, l. 3. c. 14. ad finem*, ubi dicunt hanc turpitudinem contingere, quoties nequit juramentum ſervari abſque peccato ejus, cui præſtatur. Et *Covarr. de pactis 2. p. §. 3. n. 1. & n. 4. verſ. Ego verò, & Gutierez de juram. 1. p. c. 43. n. 3. verſic. In eo etiam*, ubi dicunt hanc turpitudinem contingere, quando creditor ex eo contractu iniquè acciperet, ſecùs quando etſi iniquè contraxiſſet, non tamen iniquè accepit. Et *Suarez t. 2. de religione, tractatu de juramento, l. 2. c. 28. n. 4. & 5.* ubi ait debere eſſe turpitudinem circa ipſummet actum, circa quem juramentum poſtulatur, ita ut actus, quo implendum eſt juramentum, ſit peccatum in ea perſona, cui præſtatur. Et *n. 5.* dicit eſſe valde probabile minorem contrahentem cum curatore contra interdictum legum regiarum, in *l. 4. tit. 5. p. 5. & in l. 23. tit. 11. lib. 5. novæ recopil.* peccare, & retenta hac opinione ait hoc juramento non firmari eos contractus. De quo exemplo non curo, quia eſt ſatis dubium. Ut poteſt videri apud *Gutierez de juram. 1. p. c. 40. n. 3. & 4.* ubi ſuſtinet non eſſe peccatum, & contractus hos firmari juramento. Et *Paulus l. Si quis pro eo, in principio, n. 5. ff. de fidejuſſ. & Minchaca de ſucceſſionum creatione, l. 3. §. 28. n. 25. caſu 4.* explicant hanc turpitudinem quando eſt peccatum in receptione.

54 Nec oportet, ut ea turpitudo ſit formalis in recipiente, ideſt, ut ipſe peccet, ſed ſatis eſt turpitudo materialis, ideſt, ut actus ipſe ſit in ſe peccatum, etſi ratione ignorantiæ excuſetur recipiens. Ut ſi ipſe invincibiliter ignoravit contractum eſſe uſurarium, vel alius ipſo ignorante, vim, aut metum intulit, aut uſuram exercuit. Quia bona fides hujus ſolùm deſerviet, ut culpæ ſit immunis. Et in hoc caſu poteſt eſſe verum id, quod tradit *Corneus in repetitione auth. Sacramenta puberum, n. 55. in fine, C. ſi adverſus venditionem*, ubi ait hujuſmodi contractus non firmari juramento, etſi creditor non turpiter recipiat.

55 Sed dubium eſt, an ſufficiat turpitudo contra jus civile? *Gutierez de juramento 1. p. c. 40. nu. 5. verſ. Non obſtat*, ait non ſatis eſſe turpitudinem ſolo jure civili inductam, ſed exigi, ut ſit jure canonico. Quod nulla ratione, nec Auctore probat.

56 At dicendum eſt ſatis eſſe turpitudinem contrariam juri civili inducentem peccatum in eo, cui juramentum præſtatur. Quia militat ratio tradita *n. 53.* Nec Doctores *ibi relati* diſtinguunt, ſed abſolutè tradunt ſufficere peccatum. Et in propriis terminis docet *Suarez ibi* relatus. Item quia multi ſuſtinent juramentum adjectum pacto legis comiſſoriæ obligare; at eo non confirmari eum contractum, quos refert, & ſequitur *Gutierez, de juramento 1. p. c. 33. nu. 2.* ita intelligentes *c. ſignificante, de pignor.* Cum tamen conſtet illam turpitudinem eſſe jure civili inductam id pactum interdicente; quod apertè is textus indicat. Præterea juramentum filiifamilias ſolvendi mutui, renuntiando beneficio Macedoniani, dicunt multi obligare, non tamen eo firmari id pactum. Quos referunt, & ſequuntur *Antonius Gomez 2. tom. variarum c. 14. num. 24. verſic. Item infertur, quòd donatio, & Tuſchus in ſuis practicis, tom. 4. verbo Juramentum, concluſ. 528. num. 24.* Cum tamen nulla ſit in eo turpitudo, præter inductam jure civili.

57 An verò, ne confirmatur contractus juramento, & poſſit hoc relaxari, ſat ſit metus levis, & dolus non dans cauſam contractui, & qualis læſio, dicemus *capitulo 21.*

SUMMARIUM.

Quando juramentum non firmat contractum, oritur unica obligatio; at duplex, ſi confirmet, n. 58.
Quoties non confirmat, obtenta juramenti relaxatione poteſt contraveniri contractui, ſecùs quando confirmat, & explicatur, quid tunc abſolutio operetur, n. 59.
An confirmato contractu peccet contra juramentum, & contra juſtitiam, ac teneatur reſtituere impetrans abſolutionem ad effectum

tum agendi, ſciens non eſſe cauſam? num. 60.
Quando confirmat, non datur repetitio, ſecùs quando non confirmat, ſatisfit tunc momentanea ſolutione, n. 61.
Improbantur contrarium dicentes, n. 62.
Quando confirmat, nequit obtineri relaxatio juramenti, ſecus quando non confirmat, n. 63.
Refertur quidam ſentientes contrarium, & dicentes non eſſe juſtam relaxationis cauſam non confirmari eo juramento contractum, n. 64.
Explicatur ſententia Auctoris circa hoc, n. 65.
Quando confirmat, datur actio in foro externo, ſecùs quando non confirmat, n. 66.
An ſit differentia circa tranſitum obligationis ad hæredes? Remiſſivè, n. 67.

58 QUæſtio ultima. Quos peculiares effectus inducat confirmatio contractus facta juramento, qui non competunt juramento habenti obligandi vim? Sex effectus ſolent aſſignari. Primus eſt. Quando juramentum obligat, non tamen confirmat contractum, dimittitur contractus in ſua natura; quare ſi erat invalidus, adhuc manet invalidus. Quod juramentum tunc temporis nullum contractui robur addat, ſed ſolam obligationem in ordine ad Deum inducat. Cum autem contractus ſit erga hominem, manet immutatus in ſua priſtina natura; utpote qui nullum jus homini ex jutamento tribuit. At quando confirmat, oritur duplex obligatio, altera erga Deum, & altera erga hominem. Ut diximus *c. 9. nu.* 8. & ideò manet contractus firmus, & irrevocabilis, quamvis priùs eſſet revocabilis, & irritus. Ut probavi in *hoc eodem c. num.* 11. *&* 12. Atque hanc differentiam tradunt *Jaſon authentic. Sacramenta puberum, n.* 38. *C. ſi adverſùs vendit. Antonius Gomez tomo* 2. *variarum c.* 14. *n.* 21. *Suarez tom.* 2. *de religione, tract. de juram. l.* 2. *c.* 25. *n.* 2.

59 Secundus effectus eſt. Quando non confirmat ſed tantùm obligat, poteſt relaxato juramento veniri contra contractum. Quòd non obſtet contractus, utpote qui nullus, aut revocabilis erat: nec etiam juramentum, utpote, quod relaxatione extinctum erat. Secùs autem, quando confirmat, quamvis enim aliquando ratione læſionis allegatæ concedatur relaxatio ad effectum agendi; at ea relaxatio non operatur, ut poſſit contravenire contractui, ſed tantùm, ut liceat abſque proprio contendere in judicio ad illius reſciſſionem ratione læſionis illius. Quia cum ex juramento habuerit firmitatem; nec integra illius relaxatio conceſſa ſit, ſed ad ſolum peculiarem agendi effectum, obſtabunt volenti contravenire, juramentum nondum quoad contraveniendi poteſtatem relaxatum, & firmitas contractus ex eo conſurgens. Atque ita docent *Abbas c.* 1. *num.* 12. *de jurejur. Angelus conſilio* 160. *domina Catharina, num.* 3. *Partius §. Extraneis, num.* 12. *inſtituta de hæredum qualit. & differentia, Cov. de pactis* 2. *p.* 1. *num.* 7. *Gregorius Lopez l.* 6. *verbo Debe, tit.* 19. *par.* 6. *Antonius Gomez* alios referens *tomo* 2. *variarum c.* 14. *numer.* 21. *Antonius Gabriel in ſuis communibus opinionibus, libro* 2. *tit. de minoribus, concluſione* 5. *numero* 3. *ampliatione* 1. *Gutierez authent. Sacramenta puberum, numer.* 20. *&* 21. *C. ſi adverſùs vendit. Seraphinus de privilegiis juramenti, privilegio* 61. *num.* 3. *Surdus conſil.* 194. *numero* 24. *volum.* 2. *Peregrinus conſilio* 77. *num.* 4. *volum.* 1. *Vincentius Mancinus tractatu de juramento, part.* 6. *quæſt.* 1. *numero* 1. *&* 2. *Molina tomo* 1. *de juſtitia, diſputatione* 150. *columna penultima, verſic. Illud etiam, Suarez eodem cap.* 25. *numero* 3. *&* 4. *Rebellus de juſtitia part.* 2. *lib.* 1. *quæſt.* 9. *numero* 11. *Azor. tomo* 1. *inſtitutionum moralium, libro* 11. *cap.* 7. *quæſt.* 5. *in initio*. Et quamvis *Abbas cap. Cum contingat, numero* 9. *in fine, de jurejurand. & ibi Alexander de Nevo in fine, F linus c.* 1. *num.* 26. *in fine, eodem tit. Riminaldus junior conſil.* 5. *num.* 148. *libro* 1. dicant relaxato eo juramento manere irritum contractum, ac proinde licet ſtatim contravenire; ſunt tamen ſanè intelligendi, ut loquantur caſu, quo eſt conceſſa legitimè plena juramenti relaxatio ab ipſa contractus obligatione. Et ita eos explicant *Covarr. eo numero* 7. *Gutierez eo numero* 22. *Mancinus eo numero* 2. Atque benè addit *Covarr. eo numero* 7. ex ipſo procedendi modo, eò quòd ſummariè actum ſit de ipſa abſolutione præſtanda, deducendum eſſe ad ſolum agendi effectum eam fuiſſe conceſſam. De hac autem relaxatione ad effectum agendi, & qualiter ſit concedenda, dicemus *capitulo* 21.

60 Ex quo deducitur, ſi relaxationem impetrans ad effectum agendi, norit eum, cui juratum eſt, poſſidere juſtè, abſolutionem eſſe nullam, utpote quæ falſæ allegatæ cauſæ innititur, & ideò jurantem fovere injuſtam cauſam, ac proinde peccare contra juramentum, & contra juſtitiam, & teneri expenſas litis, & damna inde ſubſecuta reſtituere adverſario. Quod benè docet *Molina numero præcedenti* relatus.

61 Tertius effectus eſt. Quando juramentum non confirmat contractum, ſed tantùm obligat, impletur momentanea ſolutione, & ſtatim poteſt jurans repetere rem ſolutam. Quia cum ſtatim, ac ſolutio facta eſt, ſit jurans vinculo juramenti ſolutus, remanet illa res apud alium ſine cauſa; cum ratione ſolius juramenti implendi ſit debita. Secùs autem, quando confirmat contractum. Quia cum tunc contractus ſit omnino firmus, non ſatisfit momentanea ſolutione, nec datur rei ſolutæ repetitio. Quod clarè indicant textus eam confirmationem inducentes, dum decernunt eos contractus eſſe omnino, & inviolabiliter obſervandos. Ut *numero* 5. ponderavi. Atque ita tradunt *Bart. l. Si quis pro eo, in principio, numero decimo ff. de fidejuſſ. Jaſon authent. Sacramenta puberum, numero quinto Codice ſi adverſùs vendit. Bellamera cap. Cum contingat, numero* 27. *de jurejuran. Igneus l. primo §. Si vir, aut uxor, numero* 156. *ff. ad Syllanianum, & repetit. ejuſdem authent. numero ſexto &* 36. *Curtius junior in ejuſdem authent. repetitione, numero* 32. *Portius §. Extraneis, numero* 12. *inſtit. de hæredum qualit. & differ. Everardus loco à vi, & energia juramenti, numero* 16. *&* 17. *Covarr. de pactis* 2. *parte §.* 3. *numero ſecundo Anton. Gom. tom.* 2. *var. capit.* 14. *numero* 24. *verſ. Item infertur, quòd donatio, Rimináld. inſtit. Quibus alienare licet, in principio, numero* 207. *Caldas l. Si curatorem, verbo, Minoribus, numero tertio Codice de in integr. reſtit. Lara l. Si quis à liberis, verbo, Parens, numero* 120. *ff. de liber. agnoſc. Hondedæus conſil.* 31. *numero* 26. *volum.* 1.

62 Et hoc placet, quamvis non deſint contradicentes. Quippe *Anton. cap. Cum contingat, n.* 8. *ad medium, de jurejurand. & ibi Abbas nu.* 8. *Imola nu.* 66. dicunt, etſi contractus non firmetur juramento, non dari repetitionem, niſi ſit turpitudo in recipiente. Atque in hanc partem inclinat *Suarez eodem c.* 25. *n.* 10. dicens videri fieri poſſe, ut aliquod juramentum non confirmet, & non relinquantur juſtus repetendi titulus.

63 Quartus effectus eſt. Quando confirmat, nequit juramenti relaxatio obtineri, ſecùs quando non confirmat. Probatur ex textibus, qui in priori dicunt juramentum eſſe omnino, & inviolabiliter obſervandum Quæ verba omnem diſpenſationem, ac omne juris remedium excludunt. (Ut *numero quinto*, probavi.) Item, quia in priori caſu acquiritur jus tertio ex illo contractu per juramentum firmato, ſecùs ex juramento in poſteriori caſu; & ideò in priori caſu non eſt locus relaxationi, eò quòd cederet in tertii præjudicium; ſecùs in poſteriori, ubi ſola juramenti religio erga Deum obligat, & ideò ſubjacet relaxationi prælatorum. Atque ita ſuſtinent *Bart. Jaſon, Curtius junior, Everardus. Covarr. Riminaldus, Caldas, Hondedæus numero* 61. relati. *Igneus repetitione d. authent. Sacramenta puberum, numero* 36.

64 Verùm contra huic effectum videntur *Angelus l. Si quis pro eo, in principio n.* 7. *&* 9. *ff. de fidejuſſor.* ubi etſi concedat non dari relaxationem, quando contractus firmatur juramento; addit tamen, nec eam ſemper dari, quando confirmatur, ſed dumtaxat, quando is, in cujus favorem juratur, peccat retinendo rem eo contractu promiſſam. Et *Paulus ibi n.* 5. dicit poſſe dari relaxationem, quando contractus non firmatur in odium creditoris, eò quòd peccet recipiendo, unde videtur contrarium ſentire, quoties ob aliam rationem non confirmatur. Et *Minchaca de ſucceſſionum creatione, l.* 3. *§.* 38. *n.* 35. *verſicul. Quartus caſus*, ubi ait tantùm poſſe peti relaxationem, quando eſt peccatum in recipiente. Et *Suarez eodem c.* 25. *nu.* 11. ait, ut univerſaliter verum ſit non poſſe concedi relaxationem juramenti confirmantis contractum, debere intelligi ex vi conditionum intrinſecarum tali juramento. Quippe eis præcisè ſpectatis non invenitur juſta relaxandi cauſa in juris tertio acquiſiti præjudicium; ſecùs ex aliqua cauſa intrinſeca. Circa aliam verò partem dicit *idemmet c.* 29. *n. ultim.* non ſemper poſſe juramentum non confirmans contractum relaxari ex vi conditionum intrinſecarum ipſius, ſed id tantùm contingere, quando eſt turpitudo in eo, in cujus favorem præſtatur. Quia (inquit) non eſt ſufficiens cauſa, ut relaxari valeat, cadere juramentum in promiſſionem lege irritam. Quia cum illa lex ſit in jurantis favorem inducta, & ipſe ſponte, & ſine injuria voluerit, quantum in ſe eſt, non gaudere beneficio legis, quo ad executionem operis promiſſi, & hanc ſuam voluntatem juramento firmarit, nulla ratio patitur, ut ſine alia cauſa liberetur obligatione talis juramenti. Quare concludit non poſſe relaxari ſine alia magna, & extraordinaria cauſa.

65 Verùm quo ad priorem partem non eſt neceſſe recurrere ad intrinſecas intrinſecaſve relaxationis cauſas. Quia mens Doctorum eſt id juramentum non poſſe relaxari à prælatis inferioribus, ſed à ſolo Pontifice de plenitudine poteſtatis, qua in caſu extraordinario poteſt ob bonum commune privare aliquem propriis bonis, & jure ſibi acquiſito. Quod explicuit *Paulus ea. l. Si quis pro eo, in princ. numero ſexto*. Quod ad poſteriorem autem exiſtimo eſſe probabilius nullam aliam cauſam exigi, idque univerſaliter, quoties juramentum non confirmat. Quia aut non confirmat ratione turpitudinis inventæ in eo, in cujus favorem juratur; & tunc omnes admittunt eam ſolam eſſe ſufficientem relaxationis cauſam. Aut non confirmat, eò quòd ſolam ſolvendi promiſſionem contineat, non excludens beneficium repetitionis, juxta dicta *numero* 20. Et tunc cum legibus juſtiſſimis contractus ſit irritus, nullamque ſolvendi obligationem pariens, imò & iiſdem concedatur ſoluti repetitio; eadem ratio, quæ juſtas efficit leges irritantes eum contractum, ac juſtam præbuit cauſam arctandæ voluntatis contrahentium, ne validè de rebus ſuis diſponere poſſint, præbebit quoque anſam juſtam relaxandæ ejus juramenti obligationis in nullius præjudicium cedentis, utpote quæ nullum jus contulit parti, ſed

eò ſoli Deo acquiritur; & ne alia via fruſtretur effectus per leges intentus. Quippe multò gravius eſt arctari voluntatem, ne de rebus ſuis diſponat, quàm relaxari juramentum. Illudque graviorem cauſam poſtulat, ac ſuperiorem voluntatem. Nec obſtat jurantem renuntiaſſe ſponte ſua oi favori pro ſe inducto; quia ea renuntiatio nil prodeſt ad excludendum beneficium repetitionis, & ad reddendum validum eum contractum, ſed adhuc manet in ſua priſtina natura, & eodem beneficio affectus. Nec obſtat etiam eamdem rationem militare, quando contractus jure irriti firmantur juramento. Quia non militat, eò quòd eo juramento excludatur etiam beneficium repetitionis, & utrumque jus decreverit eam vim ineſſe hujuſmodi juramento, ut eorum contractum naturam immutet, reddendo eos, aut in ſe validos, aut ſaltem quo ad effectus univerſos contractus validi. Ut diximus *numero* 15. Tandem probatur, quia cum juramento ſatisfiat momentanea ſolutione, & concedatur ſtatim repetitio; ut diximus *n.* 61. eſt modicæ utilitatis ea ſolutio creditori, & vitantur lites agitandæ ad repetitionem, & fortè perjuria in iis committi ſolita. Ergo erit ſufficiens relaxandi ejus juramenti cauſa. Quod apertè ſentiunt Doctores allegati *numero* 17. dum dicentes jurantem in hoc regno ſolvere amiſſa ludo pecunia credita, ajunt excuſari ab hac obligatione, impetrando juramenti illius non confirmantis contractum relaxationem. Ubi nullam aliam cauſam poſtulant, quam eam promiſſionem eſſe legibus irritam; & tamen nulla eſt turpitudo in recipiente ſolutionem, juxta veriorem ſententiam. Ut *eo numero decimo ſeptimo* adverti.

66 Quintus effectus eſt. Quando juramentum non confirmat contractum, nulla datur actio in foro externo adverſùs jurantem. Ut probavi *capitulo præcedenti numero octavo*. Secùs autem, quando confirmat. Quia tunc acquiritur jus tertio. Et docet *Suarez tomo ſecundo de relig. tractatu de jurament. lib.* 2. *c.* 25. *num.* 7.

67 Ultimus effectus eſt circa tranſitum obligationis juratæ ad hæredes. De quo dicam *c. ſequenti*.

CAPUT XIII.

Qualiter juramentum ita perſonale ſit, ut ejus obligatio non tranſeat ad hæredes, & ſucceſſores jurantis, nec ejus, cui juratur, nec per procuratorem præſtari valeat?

SUMMARIUM.

An obligatio juramenti tranſeat ad jurantis hæredes? numero 1.
Quid ſi quis juravit pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus? n. 2.
An dignitas habens adnexa multa juramenta, nec jurans teneatur ad illa? n. 3.
An jurans non repetere aliquid à Titio, poſſit ab ejus hærede repetere, vel hæres jurantis poſſit repetere? n. 4.
An juramentum per metum, vel injuriam extortum, & quoties non confirmat contractum, tranſeat ad hæredes jurantis, ſaltem in vim contractus? n. 5.
Juramentum alicui præſtitum, an tranſeat in hæredes ejus, cui præſtatur? num. 6.
Juramentum obedientiæ præſtitum alicui in dignitate conſtituto, quando obliget ad obediendum ſucceſſoribus in ea dignitate? num. 7. *&* 8.
Juramentum obedientiæ præſtitum conſtituto in dignitate, an ceſſet illo depoſito ab ea dignitate? n. 9.
Quid ſi ipſe jurans deponatur à dignitate, ratione cujus jurat? num. 10.
An jurans, & ejus hæredes poſſint ratione juramenti conveniri coram judice Eccleſiaſtico? n. 11. *&* 12. *& eo num.* 11. *Quid de hærede ejus, cui juratur, an poſſit jurantem convenire coram judice Eccleſiaſtico?*
An laicus jurans contractum poſſit conveniri etiam coram judice laico, etſi vertatur in dubium valor juramenti? numero 13.
An quando uterque judex eſt competens, poſſit lite mota coram ſeculari adiri Eccleſiaſticus, ut cogat obſervare juramentum? num. 14.
An petita ab Eccleſiaſtico relaxatione juramenti, poſſit coram eo de tota cauſa tractari? n. 15.
An laicus efficiatur quoque de foro Eccleſiaſtico, ut cogatur votum adimplere? n. 16.
An juramentum poſſit præſtari per procuratorem, aut nuntium? num. 17.
An ad id deſideretur ſpeciale mandatum? n. 18.
An idem procedat in juramento promiſſorio, ita ut dominus non obligetur ex juramento promiſſorio procuratoris jurantis abſque ſpeciali mandato? Et explicatur, quando ſit ſpeciale mandatum, n. 19.
An liceat dare poteſtatem generalem procuratori ad jurandum in quacumque cauſa? n. 20.
An poſſit vaſſallus juramentum fidelitatis domino feudi præſtare per procuratorem, conſentiente, aut invito domino? numero 21.
An lege petente proprium alicujus juramentum, id poſſit per procuratorem præſtari? n. 22.
Quid ſi petat juramentum propria alicujus manu fieri? numero 23.
An ad juramentum de calumnia præſtandum, ſufficiat mandatum generale factum procuratori ad omnes cauſas, & ſpeciale ad jurandum de calumnia? n. 24.
An procurator obligetur ex juramento nomine partis præſtito? num. 25.
An ſi res jurata falſa ſit, tam procurator, quàm pars perjurium incurrant? n. 26.

1 NOn tractamus in præſenti de juramento promiſſorio ſoli Deo emiſſo; cum enim voti jurati vim habeat, de eo qualiter ad hæredes, & ſucceſſores jurantis, tranſeat, agendum eſt in *libro ſequenti*, in ſimili quæſtione de voto. Sed in præſenti agimus de juramento homini præſtito. Sit ergo prima concluſio. Juſjurandum homini præſtitum eſt ita perſonale ex parte jurantis, ut ejus obligatio ex juramenti, ac religionis vinculo minimè ad hæredes tranſeat, ac ſucceſſores ipſius jurantis. Quare hi non adimplentes juramentum defuncti, minimè erunt perjuri. Sed ſolùm tenentur hæredes adeuntes hæreditatem, in quantum ejus vires ſufficiunt, ratione contractus defuncti, ſicut ad cætera ejus debita, reliquoſque ejus contractus tenentur. Ratio eſt, quia juſiurandum eſt perſonæ vinculum, & obligatio voluntariè aſſumpta ex virtute religionis. Ergo ex vi juramenti nequit ejus obligatio ad aliam transferri perſonam. Atque ita docent *D. Thoma ſecunda ſecundæ quæſtione nonageſimo octavo articulo ſecundo ad quartum & ibi Cajet. Sotus libro octavo de juſt. quæſtitione ſecunda articulo ſecundo ad quartum Abb. cap. Veritatis numero tertio de jurejurand.* & ibi communis. Et multi alii, quos referunt, & ſequuntur *Covarr. capit. Requiſiti numero ſecundo de teſtam. & de pactis prima parte §. quinto numero quarto Antonius Gomez tomo ſecundo variar. capitulo decimoquarto numero decimonono Padilla l. Si quis major, numero quinquageſimoprimo Codice de tranſaction. Gutierez de juramento tertia parte capitulo decimoſecundo numero ſexto Matienzo libro quinto recopil. titulo decimo libro tertio gloſſa decimatertia numero decimo*.

2 Quod quidem verum eſt, etiamſi quis pro ſe, & pro ſuis ſucceſſoribus jurarit; nec enim tenebuntur ſucceſſores ex vi juramenti. Quia cum religio juramenti perſonalis ſit, ea à nemine alio poteſt quiſpiam obligari. Ita *Abb. Sylveſt. quæſtione tertia Padilla numero præcedenti* allegati.

3 Hinc deducitur, ſi Rex, Epiſcopus, aut canonicus, aut quævis alia dignitas habens adnexa multa juramenta, admitteretur ad ſuum officium abſque ullo juramento, non teneretur ex prædeceſſorum iuramento illa ſervare, & ita ſi non eſſet aliud vinculum obligans ad illa, niſi iuramentum, eſſet liber ab illis; ſed ſi eſſet aliud vinculum obligans officium illud, ſeu dignitatem, ut vinculum ſtatuti, aut contractus, teneretur ratione huiuſmodi vinculi ſervare illa, quæ non iuravit. Ita *Cajet. & Sotus, numer.* 1. allegati.

4 Secundò deducitur, ſi iuravi me non repetiturum certam rem à te, poſſe meum hæredem repetere à te; quia non iuravit; poſſeque me repetere ab hærede tuo. Quoniam iuſiurandum ei non præſtiti. Ita *Azor. libro undecimo inſtitutionum moralium capite octavo, quæſtione quinta*. Sed prior pars intelligenda eſt ex vi religionis iuramenti, nam ex vi contractus tenebitur meus hæres non repetere; iuxta dicta *n.* 1. Quòd ſi ego ex vi ſolius iuramenti tenerer, eò quòd eſſet per iniuriam extortum, poterit omnino meus hæres repetere; iuxta dicenda *n. ſequenti*. Poſteriorem autem partem non approbo. Quia iuramenti obligatio tranſit ad hæredes eius, cui iuramentum præſtatur. (Ut *n.* 6. dicemus. Atque proinde ex vi iuramenti tenebor non repetere ab hærede tuo.

5 Concluſionem autem prædictam, ut hæres iurantis teneatur eius iuramentum implere ex vi contractus, extendunt quidam, etiamſi iuramentum non firmet iuratum contractum ratione turpitudinis eius, cui iuratur, ſed ex ſola iuriſiurandi religione obliget. Ut cum iuratur latroni, vel uſurario, vel alii, qui rem iuramento promiſſam tenetur reſtituere; iuxtà dicta *cap. præcedenti numero ſeptimo, & octavo*. Ita *Abbas cap. Cum contingat, numero octavo de jurejurando*. Et poteſt probari, quia iuramentum ſoli Deo præſtitum erogandæ alicuius eleemoſynæ tranſit ad hæredes, tenenturque illud implere ex vi contractus, quamvis nulli pauperi, ſed ſoli Deo ius ex voto acquiſitum ſit. Ergo etſi latro, & uſurarius nullum ius acquiſierint, ſed ſolus Deus, ex iuramento illo tenebuntur hæredes implere. Sed omnino dicendum eſt, nulla ratione teneri hæredes id iuramentum implere, quamvis non impleverit defunctus; quia nulla contractus ratio obligabit defunctum, ſed ſola iuramenti religio. Quæ non transfertur in iurantis hæredes. Ut *numero* 1. diximus. Nec eſt ſimile de voto, aut iuramento eleemoſynæ. Quia promiſſionem illam voti, vel iuramenti acceptat Deus, non ob voti, vel iuramenti ſolam religionem, ſed etiam in quantum redundat in pauperis utilitatem; atque ideò, etſi non tranſeat ad hæredes ex vi iuramenti, aut voti; tranſit ex vi contractus illius cum Deo initi. At iuramentum per iniu-